

talis Siculus faciens talia, perdat et perdere debeat suam franchitiam et libertatem.

Et si erit discordia sive comptentio inter Siculos sive Sicilianos, vel inter Siculum et Armenum seu aliam nationem, cognoscant et justitiam faciant per Curiam Nostram contra delinquentes.

Et si aliquis Sicilianus fecerit aliquod damnum in terra Nostra sive in populo nostro et nostris habitationibus, explorando et expoliando, vel aliquod alium damnum faciendo, si damnificatus erit Burgensis aut habitator terre Nostre, vadat et ire debeat coram Curia Nostra, et ostendat et ostendere debeat damnum sibi datum, per querimoniam; tunc Nostra Curia vocet de Siculis illis qui reperiuntur in terra nostra, et probato quod damnum passum contra Siculum damnificantem, tunc Siciliani sive Siculi inventi in Terra nostra, obligati sint quod ipsi debeant describere in Siciliam et mittere literas in hunc modum dicendo: Quod, talis Siculus sive Sicilianus fecit tale damnum tali homini in tali loco, et quod damnum, et nominet quantitatem rerum; et detur terminus unius anni istis inventis in terra Nostra, vel quod restituant infra terminum damnum passo sive damnificato, vel quod faciant coram damnificante, duci personaliter coram Curia Nostra tum rebus, aut restituant damnum passo, aut faciant tantum quod ille qui fecit damnum respondeat coram Curia Nostra habente de presenti: et quando significata fuerit per Sicilianos predicta indictio, et infra terminum nec damnificator compareat aut res acceptas mictat, tunc dicti Siculi sive Siciliani qui invenierunt in Terra Nostra tunc temporis, erunt obligati et satisficient damnum passo, tantum quantum eorum Siculum fecerit et commisivit damnum dicto habitatori Nostro dictæ Terræ Nostræ, in presentia Curiae Nostræ.

Et illi dilecti Siculi habitatores Terræ Nostræ qui sunt et qui erunt Siciliani et filij Siculorum, qui etiam sunt et venturi sunt, obligati erunt observari nobis fidelitatem et erga Regiam Mayestatem Nostram, et post Nos heredibus et successoribus Nostris; et nunc prout ex tunc Nostra recta et integra dilectio et fidelitas toto posse suum in Terra et in Mari Nobis et populo Nostro ubicumque inventi fuerint, sit et esse debeat sine aliquo dolo et fraude: ex nunc nullus habeat potestatem de his qui obediunt Regiæ Mayestati Nostræ ad minorem usque ad maiorem facere contra aliquos Sicilianos aut violentias aut injuriam inferre, vel petere alicui Siculo, aut exigere aliquod tributum sive